

# The Digital *Viridarium consolationis* Project

## Pars 4: De aliis virtutibus Caput 26: De honestate vite (3)

Idem (Bernardus):

Tres virtutes sunt in pueris et adolescentibus magis congruunt,  
scilicet, verecundia, taciturnitas, et obedientia.  
Non est autem dubium, si has studeant habere,  
quin christo duce ad culmen perfectionis virtutumque valeant ascendere.

Tres enim virtutes sunt quae pueris adolescentibus magis congruunt,  
verecundia, taciturnitas, et obedientia.  
Non est autem dubium, si has studuerint habere,  
quin possint Christo duce ad culmen perfectionemque virtutum ascendere.

Iohannes de Fruttuaria, *Tractatus de ordine vitae et morum institutione*, 1.1  
(PL 184, cols.561A-B).

Nescio an quidquam gratius verecundia,  
annecti in moribus hominum deprehendi queat.

Ubi primam nunc adverte sponsae verecundiam,  
qua nescio an quidquam gratius adverti in moribus hominum queat.  
Hanc primo omnium libet quodammodo in manibus sumere,  
et quasi speciosum quemdam florem decerpere loco,  
nostrisque apponere adolescentibus:  
non quia non sit et in provectioni aetate omni studio retinenda,  
quae est certe omnium ornatus aetatum,  
sed quod tenerae gratia verecundiae in teneriori aetate amplius pulchriusque eniteat.  
Quid amabilius verecundo adolescente?  
Quam pulchra haec, et quam splendida gemma morum in vita et vultu adolescentis!  
Quam vera et minime dubia bonae nuntia spei, bonae indolis index!

Verecundia omnium est ornatus etatum,  
sed in estate teneri amplius pulcriusque elucescit,  
quia amplius verecundo adolescente.  
Quam pulcra hec, inquam, et splendida gemma morum in vultu adolescentis,  
bone nuntia spei, bone indolis index!

Bernardus Claraeuallensis, *Sermones super Cantica canticorum*, 86.1 (SBO 2,  
J. Leclercq, C.H. Talbot, H.M. Rochais eds., p.317, ll.7-24).